



Per.  
Lat  
020

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.  
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tizszer egy  
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.


## Primus dies anni

iam inde ab urbe condita sacris caerimoniis<sup>1</sup> a Romanis celebrabatur, ex quo autem tempore (anno a. Chr. n. 153.) anni principium<sup>2</sup> in Calendas Ianuarias translatum est, hic dies praecipue Iano, antiquissimo omniumque initiorum<sup>2</sup> deo erat consecratus,<sup>3</sup> cuius aediculam<sup>4</sup> in Tarpeio monte hoc die cives vestibus intactis<sup>5</sup> adibant et inter se consalutantes omnia fausta feliciaque in vicem<sup>6</sup> precabantur.

Calendis Ianuariis inibantur magistratus quoque Romae et consules in Capitolium comitantibus senatu, equitibus et populo, sollemni pompa ascendebant, ut pro salute populi Romani preces rite ferrent Iovique Optimo Maximo hostias immolarent.

Fuit quondam tempus, quo summus Ro-

manorum deus, cum arce sua in totum orbem terrarum spectaret, «nil, nisi Romanum, quod tueretur, haberet». Quae tempora



Templum Iovis Capitolini.

iam dudum praeterierunt, sed usus Romanus: precibus deos adorare strenisque<sup>7</sup> dulcibus: palmis,<sup>8</sup> caricis,<sup>9</sup> melle<sup>10</sup> amicos fa-

1 szertartás 2 kezdet 3 szentel 4 templomcska  
5 érintetlen, új 6 kölcsönösen 7 ajándék 8 datolya  
9 füge 10 méz.



Delphi.

miliaresque donare nunc quoque servatur.

His quoque temporibus precibus piis imploratur Deus ab omnibus populis, ut patriam et parentes liberosque servet, sed imprimis<sup>11</sup> nos, Hungari rogamus Omnipotentem, ut patriae fines arvaque dulcia, montes, mare et omnia, quae armis quondam multoque sanguine parta per mille annos obtinebamus, reddat nobis integra resque Hungara iterum vigeat.

<sup>11</sup> különösen.

In dolore maxime est providendum, ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterve faciamus.

«Sed iam ad te venio :  
Sancte Apollo, qui umbilicum<sup>1</sup>  
certum terrarum obsides,<sup>2</sup>  
Unde superstitiosa<sup>3</sup> primum  
saeva evasit vox fera.»  
(Cic. De divin. II. 115.)

## Delphi.

Liberum Phocidis oppidum : Delphi, sub monte Parnasso, per multa saecula clarissimum erat in terris oraculo Apollinis. Fons Castalius, amnis Cephissus, praefluens Delphos per<sup>4</sup> omnium ora<sup>4</sup> hominum ferebantur.<sup>4</sup> Ipsum oraculum «Py-

thium» vocabatur, ibi vaticinabatur sacerdos dei : *Pythia* quaerentibus per sacras sortes auxilium.


Sub monte Parnasso, Delphis vicino, antrum erat profundum, angustis faucibus. Cui antro postea tripus est superpositus, eodemque loco templum in honorem Apollinis fatiloqui erectum.<sup>5</sup> In hoc tripode sedens vates *Pythia* subeuntem<sup>6</sup> ex antro spiritum recipiebat<sup>7</sup> actaque<sup>8</sup> in furorem<sup>8</sup> ore spumanti responsa dabat.

Oraculum hoc Delphicum iam ante excidium Troiae floruisse dicitur. *Demodocus*, caecus ille notissimus citharoedus<sup>9</sup> Homeri, mentionem oraculi facit cantans ri-

xam *Ulyxis* cum *Achille* convivis *Alcinoi*, regis *Phaeacum*. — Ex *Herodoto* autem constat *reges Lydos* saepissime sciscitatos esse *Apollinem* de rebus suis dubiis, amplissimisque muneribus templum dei cumulasse.<sup>10</sup> *Caerites* etiam thesaurum<sup>11</sup> Delphis obtinebant.<sup>12</sup> Huc misit *Tarquinius Superbus* filios consultum, et — auctore *Plutarcho* — ipse *Cicero* quoque vatem *Apollinis* sciscitabatur.

Quamquam responsa oraculi obscura et

<sup>1</sup> a világ közepe. Delphiben Apolló templóának belsőjében volt egy fél-tojás alakú kő, az ú. n. *omphalos*. Ez jelölte a földkerekség közepét, mert itt találkozott állítólag az a két sas, amelyeket Juppiter a távol kelet-ről és nyugatról útnak indított. <sup>2</sup> kezében tartod <sup>3</sup> jósló <sup>4</sup> szájról-szájra járt <sup>5</sup> emelkedett <sup>6</sup> alája szálló <sup>7</sup> magába fogad <sup>8</sup> ihletet nyer <sup>9</sup> lantos <sup>10</sup> elhalmoz <sup>11</sup> kincses ház <sup>12</sup> bír



Fons Castalius.


ambigua<sup>13</sup> erant, pro veris tamen diu habita sunt adeo, ut *ex tripode dicta* certissima esse etiam in proverbium<sup>14</sup> abierit.<sup>14</sup>

Notissima est sors opulentissimo regi Asiae quondam edita: «*Croesus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim*». Rex hostes se perverturum putavit, sed suam pervertit. — Sciscitanti Pyrrho, regi Epi- rensi ex oraculo hoc responsum datum est: «*Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.*» Cuius sortis ambibolia<sup>15</sup> ne Aeacidarum quoque stolidum<sup>16</sup> genus fallere potuit.

Quonam tempore et qua de causa oraculum Delphicum in perpetuum obmutuerit,<sup>17</sup> haud satis liquet. Cicero scribit sua iam aetate contemptum fuisse oraculum. — Templum Phocenses a. Chr. n. anno 355. spoliaverunt, postea Galli et Romani thesauros eius praedati sunt. Ipse Nero 500 statuas licet, abduxerit, Plinius tamen plus 3000 signorum vidit. Nonnulli auctores oraculum Delphicum responsa dare desiisse aetate Octaviani Augusti affirmant. Alii tamen Neroni, alii denique Iuliano Apostatae ultimum dedisse responsum, inde autem in perpetuum oraculum obmutuisse tradunt.

\*


Haec habemus, quae de situ, origine et historia oppidi clarissimi dicamus. Restat, ut pauca de reliquiis eius addamus. *E templo Apollinis* hodie tantum fundamenta<sup>18</sup> supersunt. In pronao<sup>19</sup> templi, — sicut veteres tradunt — inscriptiones erant parietibus in-



*Templum Apollinis.*


sculptae, dicta illorum «septem sapientium», ut: «Nosce te ipsum!» et: «Ne quid nimis!» etc. — Satis integrum permansit *theatrum*, praeter scenam, cuius tantum fundamenta restant. Inde in *stadium* venimus, cuius pars meridiana vetustate sublapsa<sup>20</sup> est, ceterae integrae manserunt.

*Fons amoenus Castalius* ex angustis *Phaedriadum* faucibus desilit. In crystallina<sup>21</sup> eius aqua lavabantur viatores, oraculum Apollinis consulturi. Supra fontem in rupibus *zotheculae*<sup>22</sup> videri possunt, quibus quondam *simulacra* et *dona* erant inclusa. — A fonte Castalio haud longe abest *gymnasium* et *Marmaria*, Minervae sacra. In *museo* praeclarissima statua «*aurigae*» et *metopae* servantur ex thesauro Atheniensium, quae Herculis et Thesei facta ostendunt. In oeco<sup>23</sup> Graeco-Romano est *tropaeum*<sup>24</sup> *Aemilii Pauli*, dono datum ab eo post victoriam apud Pydnam, quam de Perseo reportavit<sup>25</sup> (ante Chr. n. a. 168.) — Item duae statuae asservantur perpulchrae, altera *Antinoi*, altera *Agiae*, qui primus ex Thessalis victor<sup>26</sup> Olympiae<sup>26</sup> erat. Quae omnia vehementissime permovent animos eorum, quibus obvenit, ut his oblectentur.



*Stadium.*

<sup>13</sup> kétes <sup>14</sup> közmondássá vált <sup>15</sup> két-  
értelműség <sup>16</sup> együgyű <sup>17</sup> elhallgat <sup>18</sup> csak  
az alapok <sup>19</sup> előcsarnok (porticus) <sup>20</sup> be-  
omlik <sup>21</sup> kristálytisztá <sup>22</sup> kis mélyedések,  
kabinetek a fogadalmi ajándékok számára  
<sup>23</sup> terem <sup>24</sup> győzelmű emlékjel <sup>25</sup> aratott  
<sup>26</sup> olympiai győztes.



## LECTARIUS MINIMIS.

### Insolita<sup>1</sup> contentio.<sup>2</sup>

Teredo<sup>3</sup> rodens<sup>4</sup> in tigno<sup>5</sup> crepitabat.<sup>6</sup>  
Tinea<sup>7</sup> sic eam alloquitur e vestimento:

— Miserum animal, quidnam potes in duro ligno tam suaviter rodere?

— Quid tu in illa pelle<sup>8</sup> exili<sup>9</sup>? — inquit vermiculus<sup>10</sup> e nasturtio.<sup>11</sup>

Tum alius vermis<sup>12</sup> ad summum caseum<sup>13</sup> emicans<sup>14</sup> dicit:

— Hercle<sup>15</sup> nemo est, qui tuum victum<sup>16</sup> amarum appetat.<sup>17</sup>

— At ne tecum quidem cupio habitare in mucenti<sup>18</sup> caso — ait aranea<sup>19</sup> ex angulo.<sup>20</sup>

— Verus cibus est caro muscae.

— Recte putas<sup>21</sup> — inquit musca — si tamen stolidus<sup>22</sup> ad tuas telas<sup>23</sup> advolaremus.

His dictis in pateram<sup>24</sup> mellis<sup>25</sup> volat et sorbens<sup>26</sup> clamat:

— Hic est cibus lautissimus.<sup>27</sup>

Herus insidians<sup>28</sup> suspirat:<sup>29</sup>

— O mi Deus! ergo non solum apud nos est intemperies<sup>30</sup> atque invidia?! V. Fehér.

### Interdum<sup>31</sup> etiam astutia<sup>32</sup> in<sup>33</sup> malam<sup>33</sup> partem<sup>33</sup> vertitur.<sup>33</sup>

Vulpes astuta<sup>34</sup> in arbore cavum<sup>35</sup> conpexit.<sup>36</sup> In cavo fetus<sup>37</sup> cuiusdam bestiae erant. Vulpes fame macra<sup>38</sup> et gracilis<sup>39</sup> per rimam<sup>40</sup> artam<sup>41</sup> in cavum inserpit<sup>42</sup> et omnes fetus avide<sup>43</sup> devorat.<sup>44</sup>

Tum ex cavo evadere<sup>45</sup> vult... At frustra!<sup>46</sup> Venter enim adeo tumidus<sup>47</sup> factus est, ut per rimam artam nullo modo evadere potuerit.

Mox<sup>48</sup> advenit<sup>49</sup> bestia, cuius fetus vulpes devoraverat et morsibus<sup>50</sup> saevis<sup>51</sup> vulpem astutam atque sanguinolentam<sup>52</sup> dilaceravit.<sup>53</sup>

Alexius Czuppon.

1 különös 2 vetélkedés 3 szű 4 rág 5 gerenda  
6 perceg 7 moly 8 bőr 9 hitvány 10 féreg 11 torma  
12 féreg 13 a sajt tetejére 14 felszökik 15 bizony  
16 koszt 17 kap rajta 18 penészes 19 pók 20 szöglet  
21 igazad van 22 balgán 23 pókháló 24 csésze 25 méz  
26 szűrő 27 pompás 28 leselkedik 29 felsőhajt 30 elégedetlenség 31 néha 32 ravaszság 33 rosszul üt ki 34 ravasz  
35 üreg, odu 36 megpillant 37 kölyök 38 sovány  
39 karcsu, vékony 40 hasadék, nyílás 41 keskeny  
42 bemászik 43 mohón 44 fölfal 45 kijut, kimegy  
46 hiába 47 dagadt, puffadt 48 nemsokára 49 odaérzik  
50 harapás 51 dühös 52 vérengző 53 szétép.

## Pater noster...

*Pater noster, sic oramus, Ut patriam defendamus*  
*Da nobis, quod exspectamus, Et, ut regi serviamus.*  
*Quod deest nunc Hungariae, Haec fiat voluntas tua:*  
*Horlo beatae Mariae. Te laudabit Hungaria.*  
*Redde nobis panem nostrum, A hostibus nostris raptum.*

*Ut patria sit quieta*  
*Et a hostibus remota*  
*Et fac eam pacis sedem,*  
*Nobis autem redde regem!*  
*Debita dimitte nostra,*  
*Qui tot sumus passi mala;*  
*Ne sis memor peccatorum:*

*In nomine sancto tuo*  
*Is regnabit in hoc regno;*  
*Et vigebit per saecula*  
*Genis praeclara Hungarica.*  
*Parce genti Hungarorum!*

*Pater noster, libera nos,*  
*Mitte procul inimicos,*  
*Serva patriam et regem,*  
*Servabimus Christi legem!*  
*Emericus Zaitschek.*

*Contra Dei crucis hostes*  
*Certabimus semper omnes,*

## VIRI ILLUSTRÉS

### Cn. Pompeius Magnus.

(106 - 48. a. Chr. n.)

Quid fortuna in hominum vita possit efficere, illustrium virorum exempla satis evidenter docent. Cuius rei si rationem habeas, Pompeius est nobis imprimis respiciendus. Nam Pompeius, quod antea Romanorum contigerat nemini, primum ex Africa, iterum ex Europa, ultimum ex Asia triumphavit. At mutabilem esse fortunam, eiusdem vita viri illustrat:<sup>1</sup> miserrime enim triumphator maximus vitam senex posuerat.

Annos tres et viginti natus a militibus iam imperator creatus Sullae partes secutus contra sectatores<sup>2</sup> Marii feliciter arma sumpsit. Quam ob rem cum Sulla iuvenem victorem ad se venire audisset, desiluit ex equo Pompeiumque salutavit imperatorem, quem honorem nemini, nisi Pompeio tribuebat.

Postea Pompeius in Africam profectus est, ut Iarbam, Numidiae regem, qui Marii partibus favebat,<sup>3</sup> bello opprimeret Africamque subigeret. Re bene gesta, cum litterae ei a Sulla redditae essent, quibus exercitu dimisso Romam privatus redire cogebatur, Pompeius, quamquam moleste id ferebat, tamen paruit Romamque revertentem Sulla benigne excepit ac cognomen *Magni* (ironice forte) ei indidit. Nihilo minus ei triumphum abnegavit. Iratus Pompeius etiam studio iuvenili impulsus tunc *plures adorare solem*

<sup>1</sup> igazol <sup>2</sup> hive valakinek <sup>3</sup> tart valakivel.

orientem, quam occidentem Sulla audiente dicere ausus est: orientis solis nomine sc. se ipsum, occidentis vero Sullam significans. Tanta confidentia<sup>4</sup> adolescentis Sulla fasciatus:<sup>5</sup> triumphet! triumphet! exclamavit.

Acerrimae dissensiones inter Sullanos et Marianos in Hispania ortae sunt. Sertorius odio Sullanorum inflammatus vehementer senatui resistebat. Pompeius et Metellus ancipiti Marte adversus eum dimicabant. In proelio quodam Pompeius nequaquam summo periculo evasisset, nisi Metellus auxilio ei venisset. Tum Sertorius dixisse fertur: *equidem hunc puerum verberibus castigatum<sup>6</sup> Romam dimissem, nisi anus<sup>7</sup> illa supervenisset.* Metellum senem eludens<sup>8</sup> anum dicebat, quia is se vitae tradiderat effeminatae.<sup>9</sup> Sertorius ceterum brevi a suo legato Perperna interfectus est.

Propter piratas<sup>10</sup> innumerabiles toto mari medio omnia prorsus<sup>11</sup> in incerto fuisse eo tempore nec non maria quadraginta diebus et ad orientem et ad occidentem per Pompeium illa piratarum peste liberata esse satis constat. Sic piraticum bellum omni expectatione citius est confectum.

Valde memoria digna sunt ea, quae Pompeius in Asia patrarat.<sup>12</sup> Inter cetera ille primus Romanorum Iudaeos domuit. Hierosolymis captis templum Iudaeorum vestustate atque sanctitate celeberrimum legiones Romanae ingressae sunt. Asiaticarum rerum pacificator<sup>13</sup> Romam denique rediit et tertium triumphum sicuti de Olympo demissus deus *biduo<sup>14</sup>* duxit. Exinde fortuna eius inclinari<sup>15</sup> iam coepit. Assiduitas<sup>16</sup> triumviratui primo multas ob causas defuit, ex quo praesertim Iulia uxor Pompeii Caesarisque filia vita cessit.

Res ad arma inter eos apud Pharsalum in Thessalia venit. Victus Pompeius ad Ptolemaeum regem profugit, qui Pompeium, ut officiosus<sup>17</sup> in Caesarem esset, in conspectu uxoris et filii interfici iussit. Caput eius decisum ad Caesarem delatum est, qui viso eo lacrimas fudisse fertur ac statuam eius in curia collocandam curavit. Is fuit Pompeii post tres triumphos magnificos vitae exitus LVIII. aetatis suae annum agentis.

Sebastianus A. Módy.

4 elbizakodottság 5 megigéz 6 megfenyít 7 vén-asszony 8 gúnyol 9 elpuhult 10 kalóz 11 teljesen 12 végez, teljesít 13 lecsendesítő 14 két nap alatt 15 hanyatlik 16 folytonosság 17 szolgáltató, előzékeny.



Cardinalis episcopus Coloniae<sup>1</sup> Agrippinae:<sup>1</sup> Schulte particulam reliquiarum S. Emerici Aquis<sup>2</sup> servatarum misit episcopo Veszprémiensi Ferdinando Rott, quae in aede<sup>3</sup> urbis cathedrali<sup>3</sup> magna cum sollemnitate collocata est. Caerimoniis fideles frequentes aderant.

★

«Viri», navis Fennica, cum Gedano<sup>4</sup> Helsinki, ad urbem et caput Fenniae iter faceret, haud longe a pharo Filsand ad scopulos allisa est. Multae naves propter ingentem tempestatem auxilium vectoribus ferre frustra conabantur, ita multi homines in fluctibus vitam amiserunt.

★

Amstelodamo quoque aequè tristissimus allatus est nuntius. In insula Java e vertice montis, cui nomen *Merapi* est, ignes eruperunt. Massam<sup>5</sup> ardentem<sup>5</sup> igneumque cinerem pauci tantum effugere potuerunt, multi homines in flammis miserrime perierunt. Viri<sup>6</sup> rerum<sup>6</sup> civilium<sup>6</sup> periti<sup>6</sup> aliquot milia militum, qui incolis auxilium praeberent, miserunt. Totā insulā plena sunt valetudinaria<sup>7</sup> vulneratorum hominum, quorum membra in<sup>8</sup> cineres versa<sup>8</sup> combustaque corpora aspectum miserrimum praebent. Testis<sup>9</sup> quidam oculatus<sup>9</sup> narrat se vidisse quandam mulierem, quae septem suis strangulatis<sup>10</sup> liberis, ne mortem<sup>11</sup> eorum igni<sup>11</sup> allatam videret, postquam hoc modo liberos peremisisset, ipsam quoque mortem<sup>12</sup> sibi conscivisse.<sup>12</sup>

★

Sub finem mensis Decembris VI. d. a. Cal. Ian. incolae Fani<sup>13</sup> Sancti Viti Flamoniensis<sup>13</sup> brevibus, sed maximis terrae motibus somno excitati sunt, quae tamen calamitas sine ullo incolarum detrimento fuit.

1 Köln 2 Aachen 3 székesegyház 4 Danzig 5 égő lávatömeg 6 hatóság 7 kórház 8 elüszkösödött 9 szemtanu 10 megfojt 11 tűzhalál 12 öngyilkos lett 13 Fiume.

*Item ex America* nuntius affertur de eruptione montanorum ignium. Cinere, ardenti<sup>5</sup> massa<sup>5</sup> sulphurea<sup>5</sup> atque lapidibus in altum eructatis<sup>14</sup> multa aedificia urbis *Pomae* obruebantur. Circa mille homines periisse dicuntur.

★

*Pictores artificesque*<sup>15</sup> statuarum<sup>15</sup> Hungaricos, qui *Taurini*<sup>16</sup> artificia sua propalam<sup>17</sup> collocabant,<sup>17</sup> summa cum laude ephemerides *Taurinenses* comprobabant.

★

*In Sina* nuperrime recensio habita est populi. Urbs imperii *Sanghai* incolarum habet semel et tricies centena quadraginta quattuor milia,<sup>18</sup> itaque urbs quartum locum inter urbes obtinet, quae in toto orbe terrarum pro numero incolarum inter maximas numerantur.

<sup>14</sup> kilövel <sup>15</sup> szobrász <sup>16</sup> Belgrád <sup>17</sup> kiállít <sup>18</sup> 3,144.000.

### EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

*Traianus* olim praefecto praetorianorum gladium dedit, quo ad custodiam imperatoris cingeretur: gladium e vagina eduxit et in altum sustulit et: «En accipe — inquit — hunc gladium, quo, si iuste imperaverim, pro me utaris; sin male, contra me». Nam rectorem omnium peccare minus decet, quam ceteros.

(*Aur. Victor.*)

*Themistocles* victis Persis haec dixit Athenis in contione: «Equidem habeo consilium rei publicae salutare, sed id sciri non opus est. Peto a vobis, quocum consilium communicem». Datus est *Aristides*. Huic ille: «Classis — inquit — *Lacedaemoniorum*, quae subducta est in portum *Gytheum*, clam incendi potest: ita opes *Lacedaemoniorum* frangentur». Quod cum *Aristides* audivisset, venit in contionem et: «Perutile est — inquit — consilium, quod affert *Themistocles*, sed minime honestum». Itaque *Athenienses*, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt et auctore *Aristide* consilium, quod non audierant, repudiaverunt. Ubi nunc in uno invenias hunc amorem honesti, qui tum fuit in universo populo?

(*Cicero.*)

## Claudii.

Ad fabulam *Ernesti Eckstein* Latine scripsit  
*Valentin s Fehér.*

Cum horā praeteritā *Lycoris* non reverteretur, *Stephanus* eo accurrit, ubi eam reliquerat. Sed quantopere miratus est, cum eam praeter *Eurymachum* humi genibus nixam et lacrimantem reperiret.

— Quid fit? — quaerit *Stephanus*. — Tune fles? Dices, spero, quam ob rem?

— Nunc non neque postea. Quam pallidum est os tuum; hunc servum miserum timere videris. An nescis istum magnanimum tibi ignovisse? Tu quoque vincere debes odium in animo fervens. Liberum istum dimittes occasionemque praebebis *Romam* secure relinquendi. Amplius etiam facies: omnia temptabis, ut *Q. Claudii* condicio relaxetur.<sup>1</sup> Si recusaveris, unum verbum satis erit, ut *Parthenius* te contundat.<sup>2</sup>

Tum ingressus *Antinous* litteras *Stephano* reddidit.

— Has *Augusta* mittit.

*Stephanus* litteras resignatas<sup>3</sup> legit: «*Domitia* *Stephano*. Statim tecum loqui volo».

Ubi *Stephanus* ad *Caesaris* uxorem ingressus est, illa sic eum alloquitur:

— A viro meo deprecata sum<sup>4</sup> *Quintum Claudium*. Repudiavit<sup>5</sup> me. Cum tu sis homo callidus, spero fore, ut omnia *Quinti* causā tentes. Superioribus diebus saepe te vidi una cum *Clodiano*. Scio, quid appareatur. Quid, si pro *Domitiano* *Domitia* imperet?<sup>6</sup> Si *Domitia* imperabit, *Quintus Claudius* mortis non damnabitur. Tu *Quintum* servare debes.

— Nescio, quid sim facturus — balbutit *Stephanus*. — Sed *Domitia* iubet, ego pareo.

Cum domum redisset, velut tigris in caveam<sup>7</sup> inclusus, raptim in cubiculo deambulabat.

### VI. In amphitheatro Flavio.

Postero die mane *Quintus Claudius* et *Cornelia* (quae una cum sponso mori volebat) et pars *Christianorum* e *Tulliano* in amphitheatrum ducti sunt. Captivi paene omnes tranquilli ac quieti erant. Animum

<sup>1</sup> enyhül <sup>2</sup> összezúz <sup>3</sup> felbont <sup>4</sup> kegyelmet kértem (valaki számára: acc.) <sup>5</sup> elutasít <sup>6</sup> uralkodik <sup>7</sup> ketrec.

Corneliae non ea fides, quae Christianos, confirmavit, sed vires ei amor erga Quintum attribuit infinitus. Longe alii Quintum affectus<sup>8</sup> occuparunt, cum vultum puellae carissimae macilentum<sup>9</sup> videret; animus eius maximo dolore cruciabatur.<sup>10</sup>

— Age dic, mea Cornelia — inquit — idcirco te adesce, ut me de via reducas. Fabula est te quoque damnatam esse.

— Non, Quinte, non est fabula.

— Quidum<sup>11</sup> es tu condemnata mortis?

— Enuntiavi me sontem<sup>12</sup> esse... hoc mihi creditum est.

— Tu sane iudices in errorem induxisti. O Cornelia, spolias me suprema consolatione. Vae mihi, vae tibi! Mors tua nefas est.

— Tu solus fecisti, ut hoc nefas committerem.

— Egone? — exclamat Quintus.

— Num vivere potero — queritur illa flebili voce — si Quintus erit mortuus? O Quinte, ne<sup>13</sup> tu vitam pro informi<sup>14</sup> simulacro<sup>14</sup> profundis.<sup>15</sup>

— Misera Cornelia — ait iuvenis animo commotus, — unde vis animum<sup>16</sup> capere,<sup>17</sup> si iam eris obvia<sup>18</sup> morti, nisi habes Redemptorem, nisi spem ullam habes?

— Nomen tuum erunt mihi unae ultimaeque preces; tu meus es Redemptor.

<sup>8</sup> érzelem <sup>9</sup> sovány <sup>10</sup> kínlódik <sup>11</sup> hogyan? <sup>12</sup> bűnös <sup>13</sup> valóban <sup>14</sup> üres képzelet <sup>15</sup> feláldoz <sup>16</sup> hátország <sup>17</sup> merit <sup>18</sup> szemben.



## Iocosa.

### Commentarii de bello superiore.

#### I. Tesserarius<sup>1</sup> callidus.

Cum centurio essem legionis caesareae et regiae LXVI., fuit ibi tesserarius quidam, vir omnium rerum peritissimus. Hic forte tironem<sup>2</sup> quendam in taberna proxima tabacum emere iussit deditque ei tres coronas.

Tiro brevi reversus queritur, quod mercator pro tabaco quatuor coronas postulet.

— Quid? — exclamat Iuppiter tonans. — Confestim revertere in tabernam, cave rursus sine tabaco appareas!

Haud multum moratus tiro revertitur quinque pocula vitri pretiosi manu tenens.

— Unde haec? — miratur tesserarius.

— Rogo humillime, — incipit tiro — mercator tabacum pretio trium coronarum non dedit. Saltem eo non observante haec pocula furatus sum.

— Vere dignus es, qui de infelici arbore suspendaris — castigat eum verbis tesserarius et pocula mercatori statim reddi iubet. Mercator poculis receptis ita gavisus est, ut per tironem magnam vim tabaci tesserario mitteret. Quod cum tiro renuntiasset, tesserarius dono gratuito non modo non gaudebat, sed etiam increpabat<sup>3</sup> tironem:

— O hominem stultissimum, quos terra sustinet, nonne tres coronas tibi dederam? Illico redde pecuniam!

## II. Integritas.<sup>4</sup>

Idem tesserarius, cum familiaris cuiusdam tironis anserem<sup>5</sup> pinguem ei afferret, sic infelicem increpuit:

— Stultissime, sperasti fore, ut me corrumperes? Sed iam videbis non omnia apud me venalia esse! Quanti venit anser trifurcifer?<sup>6</sup>

Ille (quamquam singuli anseres binis coronis venibant), quinos do, inquit, singulis coronis.

Tesserarius occasione<sup>7</sup> usus:<sup>7</sup>

— En accipe duas coronas — ait — et da mihi decem anseres!

Novopestini.

Ioannes Háry Redivivus.

<sup>1</sup> őrmester <sup>2</sup> rekruta <sup>3</sup> ráförméd <sup>4</sup> becsületesség <sup>5</sup> liba <sup>6</sup> kötnivaló <sup>7</sup> kap az alkalmon.

## Sententiae Petronianae.

Nequaquam recte faciet, qui cito credit.

\*

Quod hodie non est, cras erit: sic vita truditur.<sup>1</sup>

\*

Quod non exspectes ex<sup>2</sup> transverso<sup>2</sup> fit: et super nos Fortuna negotium curat.


\*

Apes ideo pungunt, quia ubicumque dulce est, ibi et acidum invenies.

\*

Nemo nostrum non peccat; homines sumus non dii.

<sup>1</sup> így múlik el életünk <sup>2</sup> várakozás ellenére.



I.

- — — rus plaustrum
- ra coronis florentibus cingitur
- — nus in silvis est
- ra parens est odii
- — — cus qui manu missus aëra findit
- — — ium promontorium est Atticae
- — — hys Oceani coniunx
- — — a coniunctio
- — — mbae alas expandunt
- — go adverbium
- — ho vox repercussa
- — or cyenus
- — da minax ponto recumbit
- — — dus inter aves primos sibi iactat honores

Litterae vocabulorum, quae desiderantur, recte expletæ et deorsum lectæ versum Ovidii dabunt notissimum.

II.

(Ad saltum equulei.)

r	b	u		b	e	V
t		a	r	r.		r
t,	t				i	v
	e				e	
s	s				i	t
i		s	n	i		v
e	o	n		i	a	f

Solutiones aenigmatum numeri III.

I. Carcer, otium, cruor, corona, Emericus, ictus, uxor, sapiens, Nonae, exercitus, rota, vita, amor.—Nomen imperatoris Romani: Cocceius Nerva.

II. Venus, vita, flamma, ignis, fur.—1—18: Vivis flamma negatur. (Martialis).

III. Amicus certus in re incerta cernitur. (Ennius).


IV. Nulla dies sine linea. (Apelles pictor suae aetatis celeberrimus nunquam tam occupatam diem agebat, ut non lineam ducendo artem exerceret, quod ab eo in proverbium venit).

V. Qualis vita, mors est ita.

Aenigmata numeri III. recte dissolverunt:

Iuditha Kosáry (Budapest), Marianna Renner (Budapest), Iulius Wattamány (Pécs), Ladislaus Pichler (Pécs), Franciscus Szabó (Veszprém), Rud. Orbán (Pécs), Ioannes Leiker (Veszprém), Steph. Rosenberg (Keszthely), Ios. Albrecht (Veszprém), Joan. Détsky (Budapest), Nic. Rosenberg (Keszthely), Franc. Rényi (Budapest), Geiza Riedl (Budapest), Norb. Karg (Pécs), Zolt. Gáspár (Keszthely).

Praemium Iudithae Kosáry obtigit.



Hoc numero primum spatium semestre anni XV. finitur. Itaque rogamus lectores nostros, qui pretium Iuventutis nondum solverunt, ut rem componere velint.

Aurelius Simonyi: Tibi, mi fili, litteras privatas scripsi. — Robertus Semtei: Pergratum mihi fuit a te accepisse epistolam, per quam certior me fecisti, quanta sollemnitate schola tua annum natalem Vergilii bis millesimum celebravisset. Etiam opusculum libenter legi tuum «De effectibus in poetas nostros Vergilii», in quo locos parallelos diligenter contulisti. Illud quoque Stephani Engel, quod misisti opusculum dignum est, quod laudetur propter industriam, qua condiscipulus tuus quaestionem haud facilem: «Quo consilio Vergilius Aeneidem composuerit», explicare conatur. — Emericus Zaitschek: Omnia, quae misisti opuscula vulgabuntur. Diligentia tua maxima laude digna est. Spero fore, ut versiculi tui lectoribus placeant. Iulius Kiss: Tua quoque prodibunt. — Alice Grünberger, Franciscus Rényi: «Iocose dicta» mihi placent et in Iuventutis usum apta esse videntur. Iosephus Keresztury: Pro singulari studio laude dignus es. Iocosa tua prodibunt; fac mittas alia opuscula quoque.

Moderator ephemeridis: EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)